

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

XXII. De fratre Henrico lectore qui compilavit librum istum.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

sorori notuisset, oravit pro eo Dominum, ut eum sua misericordia visitaret. Et respondit mihi Dominus et dixit : « Omnis labor quod sustinet, et omnis scriptura <sup>1</sup> et lectio quibus desudat, in conspectu meo amoris canticum coram mea cœlesti familia præibit, dicens : Magne Deus, æterne, fortis, mirabilis. Alleluia. Ego exaltabo caput ejus et omnes vires ejus sicut tuas roborabo, non solum naturaliter, sed magis per gratiam quam infundam. »

VI. 42.

*Scripsi etiam eidem fratri meo dicens* : « Summum gaudium in cœlo voluntas Dei est. Quod voluntati contraria libenti voluntate complectimur, hinc divinum gaudium tribulato spiritui generatur. Religiosa mens per confessionem debet diluere quod dona Dei parvipendens non suscipit grato corde ; proinde dona Dei, quæ cum tribulatione veniunt, suscipienda sunt cum gaudio et amore ; quæ vero cum consolatione conferuntur, amplectanda sunt cum fiducia et timore ; utraque tamen cum condigna gratiarum actione : sic omnia cooperabuntur in bonum meriti et præmiorum. Frater mi carissime, esto consentiens Deo, et congratulare de sua benignissima voluntate. »

XXII. DE FRATRE HENRICO LECTORE QUI COMPILAVIT LIBRUM  
ISTUM.

V. 12.

**F**RATER *Henricus, dictus de Hallis, lector Rupinensis, admiratus de dictis et scriptis Sororis Mechtildis tale ab ipsa recepit responsum* : « Magister [Henrice], vos miramini de scriptis meis ; sed de vestra admiratione amplius ego miror. Ex corde tamen vehementer doleo, cum ego indigna femina compellor scribere, quod verissimam cognitionem et limpidissimam contemplationem nisi his verbis exprimere nequeo ; quia mihi videntur æternæ valde impropotionabilia veritati. Interrogavi super his veritatis magistrum, et dixit mihi : « Interroga eum quomodo Apostoli post tantam formidinem, tam grandem acceperunt fortitudinem, post acceptum Spiri-

1. Scripsit enim manu sua Bibliam in qua legitur ad mensam in conventu Hallensium. *Cod. B in margine.*

tum Sanctum. Et interroga ubi Moyses tunc fuerit cum nihil præter Deum videret. Interroga etiam quomodo Daniel puer senes iniquos presbyteros de mendacio convicit et Suzannam liberavit. »

*Hic litteratus et bonus vir, lector prædictus, dicta hujus Mechtildis omnia collegit et in unum volumen redegit, ac in sex partes illud distinxit, sicut legentibus nunc apparet. Hujus animam Soror Mechtildis, quæ postmodum supervixit, vidit in aspectu Domini in cælo librum hunc in manu tenentem, et de ipso risu jucundissimo gloriantem. Per scripturam namque hujus voluminis multa sibi præmia comparaverat; quibus in conspectu Sanctorum apparuit gloriosus.*

---